



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 1053. An à quo & per qualem injectionem manuum violentarum in personam Ecclesiasticam violetur immunitas ecclesiastica personalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

compellendi non sunt clerici per Judteem sæcularem, sed per Ecclesiasticum, nempe Episcopum. sic quoque non tenentur Clerici ad manibus pugnandum in bello etiam ob imminens necessitatem, quia clericatus reddit illos inhabiles ad pugnandum. Abb. in c. 2. b. t. n. 5. juxta c. ex multa. de voto. & c. reprehensibile. ubi etiam redditur ratio: quia militum Christi est Christo servire, militum verò sæculi sæculo.

4. Quartò immunes sunt à præbendo hospitium militibus, ut habetur in l. 2. c. de Episc. & Cler. neque in ædibus propriis unà cum Clericis, quia sic gravarentur directè eorum personæ, neque in ædibus eorum patrimonialibus locatis laico, quia sic gravarentur eorum bona. ut juxta S. cong. Concil. super jurisdictione, apud Barb. jur. Eccl. l. 1. c. 39. §. 5, n. 70. Delb. c. 3. du. 2. f. 2. n. 1. & 2. Pirh. h. t. n. 85. Sed neque possunt cogi ad hospitandum secum in una domo patres, fratres & nepotes. quia & sic gravarentur eorum personæ. ut Ricc. p. 3. resol. 28. n. 1. & 2. Carol. de grass. de effect. Cler. eff. 3. n. 122. Dian. p. 3. tr. 1. resol. 32. Delb. l. c. n. 3. & 4. Contra de Marinis resol. quotid. c. 167. n. 4. quatenus is distinguit, ita ut procedat de ecclesiasticis constitutis in ordinibus sacris non verò constitutis tantum in minoribus, cum tamen jura & DD. indistinctè loquantur item contra Molfes. in summ. l. 1. tr. 22. c. 22. n. 166. & squillante de privileg. c. 9. n. 4. idem sic limitantibus, ut non teneantur illos hospitari in domo propria unà secum; teneantur tamen ad hospitandum eos in alia domo contributà ad hoc pecunià. non tamen eximuntur ab hospitio caritativo; cum hoc non sit onus, sed opus pium, ad quod ii ratione status perfectioris (cum commodè vel saltem sine magno incommodo possint) magis tenentur. Delb. l. c. n. 13. cum gl. in c. 1. b. t. v. hospitium.

5. Quintò ut compelli nequeant ad suscipiendam & exercendam tutelam & curam minorum, quamvis Clerici, etiam in sacris constituti, si velint, possint suscipere tutelam proximorum consanguineorum, non tamen dativam seu testamentariam. Episcopi verò & monachi nullam tutelam suscipere possunt, juxta l. generaliter. juncta auth. seq. c. de Episc. & Cleric. nisi tamen sit tutela miserabilium personarum, hanc enim omnes clerici, etiam monachi suscipere possunt; cum sit opus pium. ita Sylv. v. immunitas. 1. q. 4. n. 16. & 17. Pirh. n. 83. juxta c. ult. Dist. 86. & gl. ibid. v. tutela.

Quæst. 1052. qualiter personæ Ecclesiasticæ immunes sint à tractione causarum ad forum seculare tam in criminalibus quam civilibus spectantium.

Resp. ad hoc fuscè responsum esse lib. 2. ad tit. de foro competente. ubi etiam in specie de cognitione clericorum.

Quæst. 1053. an, à quo & per qualem injectionem manuum violentarum in personam Ecclesiasticam violetur immunitas Ecclesiastica personalis.

Resp. ad primum vel potius suppono tanquam indubitatum violari vel maximè dictam immunitatem per ejusmodi injectionem factam clerico vel monacho.

2. Resp. ad secundum violari à quocunque fiat hæc injectio. dum *can. si quis svadente*, 17. q. 4. utpote latissimè interpretandus, quia primò & per se est in favorem status Ecclesiastici, per particulas:

si quis comprehendit omnes eujuscunque sint sexus, ætatis, status, ordinis, conditionis, dignitatis. Atque ita inter cæteros mulieres & pueros etiam impuberes, modò sufficiens judicium rationis habeant ad peccandum mortaliter. juxta c. mulieres. & c. pueris. de sent. excom. Item Prælatos Ecclesiasticos quin & ipsos Episcopos, utpote quos etiam, ut Navar. in man. c. 27. n. 161. Sylv. v. Episcopus §. fin. etiam non expressos comprehendit excommunicatio generaliter lata *cit. can.* comprehendit quoque inter violatores dictæ immunitatis personalis videntur, qui mandato, consilio, auxilio concurrunt ad injectionem violentam manuum seu percussorem, saltem dum auxilio, consilio suo auxerunt intensivè voluntatem & conatum ad percipiendum, quia sunt verè causa percussoris. An verò cooperantes consulendo, mandando, incurant excommunicationem *cit. canonis* vide apud Delb. *cit. c. 2. du. 4.* de hoc fuscè agentem §. 11. & pluribus sequentibus.

3. Resp. ad tertium: per violentam injectionem manuum, quæ vel maximè committitur violatio immunitatis Ecclesiasticæ personalis, & incurritur excommunicatio canonis *si quis svadente*, intelligitur quævis injuriosa & contumeliosa actio exterior seu corporalis, etsi in rigore non violenta (sive manu sive pugnis, brachiis, pedibus) immediatè circa personam Clerici vel mediatè nimirum circa res ei adherentes exercita. quales actiones sunt non tantum Clerici occisio, mutilatio, vulneratio, percussio sive manu aut calce, sive ense, ligno &c. facta, verum etiam violenta ejus detentio in publica vel privata custodia, aliove loco appositis solum custodibus, ne elabatur, conpersio illius aqua, salivâ, sordibus. Item ereptio ex manibus illius rei cujuspiam, aut pilci ex capite, detractio vestis à corpore; dum in his omnibus adhibetur violentia. secus est canon adhibita v. g. clam aut per fraudem abscindendo marturium Clerico, auferendo ei dormienti vestes, nisi tamen id fiat directè ea intentione includendi in eo loco, ut egredi nequeat, pro ut in hoc casu non incurri excommunicationem canonis *si quis svadente* (adeoque, ut ex hoc ipso sequi videtur, nec violationem immunitatis Ecclesiasticæ personalis, utpote ob quam inductam ex motivo religionis, violatam statuitur dicta excommunicatio) docent Cajet. v. excommunicatio. c. 10. notab. 2. Molin. tr. 3. de just. d. 51. Suar. de cens. d. 22. f. 1. n. 31. & alii, quos citat & sequitur Delb. c. 2. du. 4. f. 6. num. 7. attestans de communi. Item tales actiones sunt injectio manuum in equum cui insidet Clericus, occidendo, vulnerando, percipiendo, aut per retentionem frani sistendo equum. eò quòd licet tales & similes violentiæ clerico illatæ graves non sint respectivè ad ejus personam, graves tamen sint & mortaliter peccaminosæ comparativè ad honorem illius ita Delb. l. c. n. 12. remittens ad Sylv. v. excommunicatio. 6. n. 5. Nav. c. 27. n. 77. Avil. de cens. p. 2. c. 5. d. 3. n. 12. Extendenda quoque hæc de violatione illa immunitatis per violentam injectionem manuum ad ipsum Clericum percussum, dum consentit in sui percussorem (etsi fortè ob inde excommunicationem, saltem ipso facto, non incurrat, ut Nav.) modò ea ignominiosa sit ordini Clericali siquidem hæc immunitas personalis à percussione Clerici statuta, uti & *cit. can.* conditus non tam in favorem Clerici quam Ordinis Clericalis unde licet percussio illa violenta non sit, si tamen ignominiosa sit statui Clericali, violatur adhuc

adhuc dicta immunitas. Quare idem dicendum de clerico ex ira vel passione, per militiam tamen & injuriose occidente, vulnerante, percussente se ipsum, uti id de excommunicatione ab eo propterea incurrenda astruit Delb. *cit. c. 2. du. 4. f. 8. à n. 1.* Item extendenda sunt ad percussorem Clerici illam bene meriti, dum ea fit injusto modo. v. g. dum meritis mortem vel correctionem puniretur à iudice non suo, vel etiam à Iudice quidem suo, sed modo indebito v. g. si clericus puniretur vel corrigeretur per laicum, monachus à Prælato suo per non monachum sed per purum laicum. ita quò ad excommunicationem incurrendam Delb. *lc. f. 9.*

4. Resp. quartò: nomine clerici in ordine ad violandam immunitatem dictam per injectionem illam incurrendamque excommunicationem hic intelliguntur omnes primà tonsurà initiati ab Episcopo. etiam si conjugati, modò cum una eademque virgine & habitum & tonsuram clericalem deferentes ut Henric. *l. 13. de excom. c. 49. n. 1. lit. K. Navar. l. c. n. 80.* Delb. *l. c. du. 4. f. 3. n. 4.* Arg. *c. unic. de cler. conjug. in 6.* Item etiam si sint excommunicati, suspensi irregulares, depositi verbaliter, quia tales adhuc gaudent privilegio canonis & fori. Angel. *v. degradatio n. 1. Sylv. v. eod. n. 8.* Navar. *l. c. n. 78.* Delb. *l. c. n. 9.* Item Clerici mortui, quia si quis clericum mortuum percussit, incurrit excommunicationem canonis. ut docent Felin. in *c. à nobis de sent. excom. n. 4.* Tolet. *l. 1. c. 31. n. 6.* Delb. *l. c. n. 9.* Item Clerici milites religiosi v. g. commendatarii Nav. *l. c. consil. conf. 13. de regular. Delb. n. 10.*

Ecce non intelliguntur clerici omni privilegio clericali nudati. quales sunt clerici bigami, qui sub eptis primà tonsurà aut etiam minoribus tantum ordinibus cum duabus vel cum una vidua vel ab alio corrupta contraxerunt & consummarunt matrimonium, non tamen ii, qui in sacris ordinibus constituti contraxerunt invalidè, aut contractum consummaverunt; quia hi juxta *e. super. c. à nobis de bigamis.* verè bigami non sunt. Delb. *l. c. à n. 11.* Secundò Clerici conjugati, dum neque habitum neque tonsuram deferentes nulli Ecclesiæ deseruiunt ut Delb. *num. 15.* juxta *c. unicum. de cleric. conjug. & Trid. sess. 23. c. 6. de reform.* quod tamen aliqui limitant ad percussentem clericum quem sciebat clericum. Delb. *n. 19.* Tertiò qui se transferunt ad actum omnino contrarium clericatui v. g. ad militiam, ad mercaturam, saltem si tertiò moniti non desistant. *c. fin. de vita & honest. cler. Delb. à n. 17.* quò etiam spectant clerici conjugati vel habitum deferentes exercentes publicè officium lenonis aut cautionarii, si tertiò moniti ab Episcopo non desistant, vel postquam desisterunt idem officium reassumunt, secus si conjugati non sunt & habitum non dimiserunt, tunc enim adhuc gaudent privilegio canonis & fori, & juxta *Clem. 1. de vita & honest. cler.* ita Delb. *l. c. n. 48. & 49.* Item per annum exercentes artem ignominiosam ludionis, mimi, parasiti, nam & hi perdunt omnia privilegia clericalia, etiam intra annum, si tertiò moniti ab Episcopo non desistant, quod tamen aliqui restringunt ad clericos in minoribus constitutos, qui clericatui renunciare possunt. Vide Delb. *n. 50. & 51.* Ac denique etiam clerici in sacris constituti qui diuulso habitu

seditionibus latrociniiis & iniquis bellis se miscant, utpote qui etiam ante monitionem Episcopi amittant privilegium canonis Delb. *n. 39.* juxta *c. cum non ab homine & c. perpendimus.* de sent. excom. Quartò Clerici facti hæretici, Apostatae, schismatici, Delb. *n. 20.* remittens ad Cajet. *v. Excommunicatio. c. 10. vers. notab. septimò.* uti & degradari realiter, vel depositi verbaliter, si sint incorrigibiles, ut Avila *de censib. p. 2. c. 5. d. 3. du. 13.* atque ita recensitos percussentes non violare immunitatem clericalem personalem bene infertur, ex eo, quò percussi non gaudeant privilegio canonis.

5. Resp. denique: nomine monachorum ob quorum percussorem pœnas canonis incurrunt & violant immunitatem personalem eorum percussores, veniunt omnes religiosi professi alicujus religionis approbatæ, veniunt item conversi & conversæ etiam professionem strictè talem in aliquibus religionibus non emittant Delb. *l. c. du. 4. sect. 4. n. 4.* juxta *c. ex tenore. de monialibus c. d. dubium de sent. excom. juncta gl. ibidem v. converso.* adeoque multò magis scholastici, coadjutores temporales & spirituales societatis utpote per vota emissa post novitium effecti veri & in rigore religiosi. Item veniunt Novitii, dum & hi in favorabilibus nomine religiosorum comprehenduntur, eorum gratias & privilegia participant, ita ut etiam ob delicta enormia à Iudice seculari judicari & puniri non debeant Nav. *l. 1. cons. 5. de for. compet.* Item tertiarii Ordinis S. Francisci & dominici. ut Nav. in *man. c. 27. n. 9.* contra Cajet. *v. excomm. c. 10. not. 7.* Quod tamen rectius distinguit, Delb. *l. c. n. 9.* ut certò procedat, si editis tribus votis substantialibus verè religiosi sint, viventes sub regula & jurisdictione Ordinis mendicantium, secus verò si religiosi proprie non sint, sed solum ad dictam religionem, cui vel bona sua obtulerunt, vel etiam cujus habitum & regulam susceperunt. procedat quoque de iis si collegialiter vivant, ut cum gl. in *cit. c. non dubium.* Mol. *tr. 3. d. 50. n. 4.* Avil. *lc. d. 2. du. 11.* Suar. *d. 22. f. 1. num. 20.* & alii apud Delb. *l. c.* secus tamen, si in privatis domibus habitant. ut Rodriq. *Tom. 2. qq. regul. 9. 5. a. 5.* ex Leone X. Item veniunt fratres laici etiam verè religiosi non sint, qui mutato tamen habitu seculari, & assumpto regulari, quamvis distinctò à cæterorum religiosorum habitu, alicui religioni vel Ecclesiæ se dicant, emisso voto simplici, saltem continentia, & interdum etiam obedientia & paupertatis Nav. *l. 3. cons. 7. 12. & 81. de regul. Delb. l. c. n. 12. n. 14.* secus esse dicens de oblati, qui nulla facta habitus mutatione absque emissionem alicujus voti in domibus suis manent; etiam si bona sua religioni dicant. Item veniunt Eremitæ non tantum qui veri religiosi sunt, sed etiam qui edito voto, vel alia obligatione suscepta apud Prælaturam Ecclesiasticam ordini vel Ecclesiæ alicui speciatim addicti sunt. secus est de iis qui solitariè viventes nullam talem obligationem habent, cum ii pro secularibus habeantur nullisque Ecclesiasticorum privilegiis gaudeant. ita cum Mol. *l. c. d. 58. num. 4.* Rodriq. *Tom. 22. qq. regul. 9. 63. a. 4.* Cönnick. Sylv. Nav. & aliis, Delb. *à n. 15.*